

vestro illic lætati sumus. Inde navigio pisces ca-  
piendo, ad villam . . . . . pervenimus. Tassilo vero,  
ut speramus, fidelis vester, de his quæ ab eo quæ-  
sivimus prudenter nobis in omnibus responsum de-  
dit. Et putamus, si eum probaveritis, et secundum  
scientiam vel doctrinam vestram aliquod servitium  
ei injunxeritis, quod vobis exinde placere curabit.  
Precamur denique, ut illo præposito vestro præci-  
piatis, ut de illo manso quod vestra charitas nobis  
beneficiavit, bonum certamen secundum promissio-  
nem vestram facere studeat, qualiter nobis vobisque

A exinde merces accrescat. De plumbo autem et mate-  
riamine similiter demandate, qualiter navigio juxta  
voluntatem vestram de sancto illo usque ad locum  
ubi Signa confluit in mare, nos ita adducere possi-  
mus, quatenus Dominum meum sanctum illum ama-  
torem vestrum una cum omnibus sanctis, quorum  
reliquias in monasterio habemus, intercessores exin-  
de habeatis. Deus omnipotens ejus temporibus in  
præsenti sæculo vos sanum et incolumem custodiat,  
et in futuro cum sanctis angelis lætabundum efficiat.  
Amen.

### III.

#### COMMONITORIUM CUJUSQUE EPISCOPI

#### AD SACERDOTES SUBDITOS SIBI CÆTEROSQUE MINISTROS CUJUSCUNQUE ORDINIS ECCLE- SIASTICI.

(Ex Marten., Amplissima Collectio.)

**F**ratres sacerdotes Domini cooperatores nostri ordinis estis, et nos quidem, quamvis indigni, locum Aaron tenemus, vos locum Eleazar et Itamari. Nos vice duodecim apostolorum fungimur, vos septuaginta duorum discipulorum. Nos pastores vestri sumus, vos plebis vobis commissæ. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo pastori Domino nostro Iesu Christo, vos de plebe vobis commissa. Ideoque, charissimi, vestrum videte periculum. Admonemus itaque et obsecramus fraternitatem vestram, ut quæ vobis suggerimus, memorie commendetis, et opere exercere studeatis.

I. In primis admonemus ut vita et conversatio vestra irrehrensibilis sit, scilicet ut cella vestra sit juxta ecclesiam, et in domo vestra feminas non habeatis.

II. Omni nocte ad vigilias surgite; cursum vestrum horis certis decantate.

III. Missarum solemnitates celebrationesque religiose peragite; corpus et sanguinem Domini cum timore et reverentia sumite; vasa sacra propriis manibus abluite et extergite.

IV. Nullus cantet nisi jejonus; nullus cantet qui non communicet.

V. Nullus cantet sine amictu, alba, stola, fanone, casula. Et hæc vestimenta nitida sint, et ad nullos alias usus sint.

VI. Nullus cum alba, qua in suos usus utitur, presumat missam celebrare [Al., cantare, hic et in-

• Plenarium aliqui cum Missale confundunt; aliqui ita distinguunt, ut Missale sit liber ecclesiasticus continens officium missarum, Plenarium liber complectens Epistolæ et Evangelia. Crediderim tamen Missale plenarium esse librum, in quo non modo canon, orationes et prefationes continentur, sed etiam Epistole et Evangelia, omnia denique quæ in choro cantantur.

B fra]. Nullus in ligneo aut vitro calice audeat missam celebrare.

VII. Nulla femina ad altare accedat, nec calicem Domini tangat.

VIII. Corporale mundissimum sit. Altare sit copertum de mundis linteis. Super altare nihil ponatur nisi capsæ et reliquiae et [Al., aut forte] quatuor Evangelia et pyxis cum corpore Domini ad viaticum infirmis, cetera in nitido loco recondantur.

IX. Missale, • Plenarium, Lectionarium, Antiphonarium, <sup>b</sup> utrumque librum xl homiliarum unusquisque habeat.

X. Locus in secretario vel juxta altare sit præparatus, ubi aqua effundatur quando sacra vasa abluntur, ibique vas nitidum cum aqua pendeat, ubi sa- C cordos manus lavet post communionem.

XI. Ecclesiæ sint bene coperfæ et camerae, atrium ecclesiæ undique muratum <sup>c</sup>.

XII. Nullus extra ecclesiam per domos, vel in locis non consecratis, missam cantet, nec solus cantet <sup>d</sup>.

XIII. Quisque presbyter clericum habeat qui epistolam vel lectionem legat, eique ad missam respondeat et cum quo psalmos cantet.

XIV. Infirmos visitate, eosque Deo reconciliate oleo sancto ungite, et propria manu communicate. Nullus præsumat tradere communionem laico vel feminæ ad ferendum infirmo.

XV. • Nullus sacrum chrisma vendat, nullus pro baptizandis, vel pro corpore Domini, vel pro reconciliatione, vel pro sepultura, vel pro consecrandis

D <sup>b</sup> In Victorino codice desideratur utrumque librum xl homiliarum.

<sup>c</sup> Victor., Sepi munitum.

<sup>d</sup> In Victor. deest nec solus cantet.

<sup>e</sup> In codice Victorino hic articulus sic legitur: Nullus vestrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium vel munus exigat. Omissis reliquis.

ecclesiis pretium querat, vel ecclesias aliquorum data pecunia subripiat.

**XVI.** Videte ne per negligentiam vestram ullus infans sine baptismo moriatur.

**XVII.** Nullus vestrum sit ebriosus, litigiosus, nullus arma in seditione ferat, nullus canum vel avium jocis inserviat, nullus in tabernis bibat.

**XVIII.** Unusquisque vestrum, quantum sapit, plebi sure de Evangelio, de Epistola, vel aliqua divina Scriptura Dominico die vel festis diebus annuntiet.

**XIX.** Curam pauperum, peregrinorum, orphanorum habeat, eosque ad prandium invitet, ut in his et aliis hujusmodi a vobis alii exemplum capiant.

**XX.** Omni die Dominico ante missam aquam benedictam facite, unde populus et loca fidelium aspergantur.

**XXI.** Sacra vasa vel vestimenta sacerdotalia non dentur in vadimonium negotiatori vel alicui seculari.

**XXII.** Nullus vestrum minus digne poenitentem cujuscunq; rei gratia ad reconciliationem adducat, et ei reconciliationis testimonium ferat.

**XXIII.** Nullus vestrum usuras exigat, et conductor sui senioris existat. Res et facultates quas post diem ordinationis vestræ acquiritis, ad ecclesiam cui deservitis pertinere sciatis.

**XXIV.** Nullus sine scientia et consensu nostro ecclesiam acquirat. Nullus per potestatem sacerdotalium ecclesiam obtineat; nullus ecclesiam ad quam titulatus est dimittat, et ad aliam causa quæstus migret.

**XXV.** Nullus plures teneat ecclesias sine aliorum auxilio presbyterorum, nullatenus una ecclesia inter plures dividatur.

**XXVI.** Nullus alterius parochianum, nisi in itinere, aut si sibi placitum fuerit, ad missam recipiat. Nullus in alterius parochia sine licentia illius cantet.

**XXVII.** Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat.

**XXVIII.** Nullus poenitentem invitet carnem manducare vel vinum bibere, nisi pro eo ad præsens eleemosynam dederit.

**XXIX.** i Nullus præsumat baptizare, nisi in vigilia Paschæ et Pentecosten, nisi pro periculo mortis. D

<sup>a</sup> Codex Victorinus addit, quia servum Domini non oportet litigare.

<sup>b</sup> Addit Victorinus, quia arma nostra debent esse spiritualia.

<sup>c</sup> Victorinus codex. De Evangelio vel Apostolo die Dominicæ vel festis diebus annuntiet. Verbum Dei debet prædicare.

<sup>d</sup> Codex Victorinus totum hunc articulum in secunda persona enuntiat; tum hæc subdit: Estote hospitales, ut a vobis alii exemplum bonum sumant.

<sup>e</sup> Vict., Aspergatur, omisso, et loca fidelium, ad dictum: Et ad hoc solum vas habete.

<sup>f</sup> Victor., Nolite in vadium dare negotiatori aut tabernario.

<sup>g</sup> Vict., Novi senoris.

<sup>h</sup> Codex Vict. addit: Nullus per pecuniam alterius ecclesiam supplantet.

**A** XXX. Unusquisque fontes habeat, si non potest habere lapideos, habeat aliud vas ad hoc tantummodo preparatum <sup>k</sup>.

**XXXI.** Omibus parochianis vestrī symbolū et orationē Dominicā insinuate.

**XXXII.** Jejunium quatuor temporū, rogationes, litaniam majorem eis indicite <sup>l</sup>.

**XXXIII.** Feria iv ante Quadragesimam eos ad confessionem invitare, eisque juxta qualitatē delicti poenitentiam injungite, non ex corde vestro, sed sicut in poenitentiali scriptum est.

**XXXIV.** Tribus vicibus in anno, scilicet in Natale Domini, Pascha, Pentecosten, <sup>m</sup> omnes fideles communicent.

**B** XXXV. Certis temporibus conjugati ab uxoribus abstineant <sup>n</sup>.

**XXXVI.** Eulogias post missas in diebus festis accipiant.

**XXXVII.** <sup>o</sup> Nullus presbyter in itinere sine stola incedat; nullus induatur vestimentis laicalibus; nullus rem aut possessionem aut mancipium ecclesie vendat, aut commutet, vel quocunque ingenio alienet.

**XXXVIII.** Dominicum diem aliasque festivitates a vespera usque ad vesperam celebret unusquisque <sup>p</sup>.

**XXXIX.** Cantus et choros mulierum in atrio omnino prohibete.

**C** XL. Carmina diabolica quæ super mortuos nocturnis horis vulgus cantare solet, et cachinnos quos exercent, sub contestatione omnipotentis Dei prohibete.

**XL1.** <sup>q</sup> Excommunicatis missam ne cantetis, et plebi vobis commissæ ne hoc faciat interdicatis omnino.

**XLII.** Nullus presbyter ad nuptias eat.

**XLIII.** <sup>r</sup> Nullus uxorem, nisi publice celebratis nuptiis, accipiat. Raptum nullus faciat. Nullus proximam suam accipiat. Nullus sponsam alterius ducat.

**XLIV.** Unusquisque porcarios et alios servos suos Dominicis diebus vel festivis ad missam venire faciat.

**XLV.** Patrini suos spirituales filios symbolū et orationē Dominicā vel doceant, vel docere faciant.

<sup>i</sup> Vict., absque proprii presbyteri voluntate vel ro-gatu.

<sup>j</sup> Hic articulus desideratur in Victorino.

<sup>k</sup> Vict. addit, in quo nihil aliud fiat.

<sup>l</sup> Vict., plebibus vestrī omnimodis observandum insinuate.

<sup>m</sup> Vict., omnes fideles ad communionem corporis et sanguinis accedere ammonete.

<sup>n</sup> Vict., abstinere exhortamini.

<sup>o</sup> In codice Vict. deest, nullus presbyter in itinere sine stola incedat.

<sup>p</sup> Vict., absque opere servili celebrare docete.

<sup>q</sup> Vict., cum excommunicatis nolite communicare, nullus præsumat illis missam cantare, sed et plebibus vobis commissis hoc annuntiate.

<sup>r</sup> Codex Vict., omnibus nuntiate, ut nullus, etc.

XLVI. Chrima semper sit in sera • propter quos-  
dam infideles.

XLVII. b Quisque presbyter expositionem Symbo-  
li vel Dominicæ orationis habeat scriptam juxta tra-  
ditionem orthodoxorum Patrum, et eam pleniter in-  
telligat, et inde prædicando populum sibi commissum  
assidue ore instruat. Orationes missarum, præfatio-  
nem canonis, eundem canonem pleniter intelligat,  
ut memoriter ac distincte proferre valeat. Epistolæ  
et Evangelii sensum saltem juxta litteram sciat. Psal-  
morum verba et distinctiones memoriter teneat. Ex-  
orcismos et orationes ad catechumenum faciendum,

a Vict. addit, aut sub sigillo.

b Quæ sequuntur desunt in codice Victorino, quo-  
rum loco hæc leguntur : « Volumus autem, fratres  
charissimi, quatenus quæ nostra percepistis tradi-  
tione, quantum humana patitur infirmitas, bonis B

A ad baptismum consecrandum, et preces super mas-  
culum et feminam singulariter et pluraliter distinc-  
te proferre sciat, et ordinem baptizandi ad succur-  
rendum infirmis, et ordinem reconciliandi secundum  
auctoritatem canonum, et ordinem ungendi infirmos,  
et ordinem in exequiis defunctorum, exorcismos  
quoque et preces super salem et aquam, cantum  
nocturnum et diurnum, compotum si non majorem,  
saltē minorem; id est, epactas, concurrentes, re-  
gularesque terminos, Martyrologium, Pœnitentiale  
ususquisque habeat.

studeatis operibus adimplere, præstante Domino no-  
stro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto  
vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum.  
Amen. »

## IV.

### a TRACTATUS

*Utrum animæ de humanis corporibus exeunte mox deducantur ad gloriam vel ad pœnam, an  
exspectent diem judicij sine gloria et pœna.*

(Ex Maio, Script. vett. Nova Collectio.)

Serpens ille veternosus, qui dudum contra catho-  
licam fidem hæreticorum linguas exacuit, nunc quo-  
que cujusdam b Arseniotis labia erroris sui veneno  
infecta, post illorum perenne silentium, ad relivitas  
blasphemias aperire satagit. Insibilans enim per  
eumdem submurmurat virum, si tamen res ita se  
habet ut de illo fama vulgavit, quod ante novissimum  
examinis diem nullus electus regna cœlorum, nullus  
reprobis loca penetret inferorum. Quod nimurum  
pravæ hæreseos dogma si vel ad momentum recipi-  
piatur, magnum fidelibus detrimentum afferre prob-  
hatur: facit enim eos et ad vitæ gaudia querenda  
pigerrimos, et ad gehennæ supplicia vitanda nimis  
incautos. Contra quem utique facilis est mihi con-  
gressus, quia omnes rectæ fidei assertores mecum  
destruunt ejus conatus; nullus namque ei patriarcharum,  
nullus prophetarum, nullus consentit apostolorum: non scilicet Moyses, non David, non Salomon,  
non Isaias propheta, non ullus post Isaiam  
alius propheta, non Petrus apostolus, non Paulus,  
non Joannes, non Matthæus, non Judas, non Jacobus,  
non Lucas, non Marcus: sed nec ullus omnino  
catholicæ fidei tractator post istos hujus errorem at-  
tentasse aliquando fuit inventus. Et utegregios com-  
memorem de multis, non Gregorius Nazianzenus,  
non Joannes Constantinopolitanus, non Pictaviensis  
Hilarius, non Mediolanensis Ambrosius, non Hippo-  
niregius Augustinus, non Bethlehemiticus Hierony-

a Tractatum hunc ex antiquissimo codice Rom.  
Casanatensi, anno 812 scripto, sumpsiisse se adnota-  
vit Laur. Zacagnius, qui prelo commissurus erat,  
nisi morte fuisse interceptus.

mus, non Alexandrinus Cyrillus, non ita docuit  
Gregorius papa Romanus. Horum certe plura ego  
C in sanctis tractatibus legi, sed in his huic simile  
nusquam inveni. Quis autem non videat quantæ sit  
temeritatis, quantæque dementiae, quemlibet unum  
mendacem homunculum contra tot veracissimos in-  
signisque virtutis testes, sine teste congregati velle?  
Sed necesse est ut hoc quod veritatis defensione nu-  
dis verbis asserimus, vestitis sententiis plenius indi-  
gamus.

D Veritatis igitur scripturam sequentes, ostendamus  
primo, si placet, ante adventum Mediatoris in carnem  
omnes reprobos oinnesque electos ad infernum de-  
scendisse, quanquam inter hos et illos diversa merita  
magnum firmaverint chasma; ac deinde post ejusdem  
sacratissimam mortem, et electos ad regna coelestia,  
et reprobos ad loca pervenisse pœnalia. Quod enim  
ante incarnationem Dei sapientiam peccatores ad infer-  
na descenderint, Mosaica testatur auctoritas, quæ  
Dathan et Abiron eorumque socios, terra sorbente,  
ait, descendenterunt in infernum viventes. Et hæc qui-  
dem illa specialiter de quibusdam; generaliter vero de  
cunctis Davidica promittit æque sententia, quæ dicitur:  
*Sicut oves in inferno positi sunt, et mors pascet eos* (Psal. xlvi, 15). In libro quoque, qui Salomonis  
Sapientia prænotatur, enarratis multis reproborum  
miseriis, ipsa Sapientia ita concludit dicens: *Talies dixerunt in inferno hi qui peccaverunt* (Sap. v, 14).

b Arsenii cujusdam, quem alterum Jeremiam vo-  
cat, meminit Paschasius Ratb. De corp. et sang. Dom.,  
in prologo. ZACAGNIUS.